

Nam 1° Actus fidei divinae et supernaturalis non potest formaliter niti super quamcumque rationem humanam. Atqui bonitas illationis esset aliqua humana ratio. Ergo fidei divinae actus non potest super hanc niti formaliter.

127. Nam 2° Assensus fidei habet certitudinem firmiorem omninaturali certitudine. Atqui, in sententia Lugonis, non foret haec certitudo omni naturali firmior. Etenim, nec Veracitas divina, nec divina locutio darent fidei divinae suam firmitatem, nisi ratione connexionis quam necessario habent cum veritate credenda; haec autem connexio est tantum certa certitudine naturali, quam lumen naturale praebet. Ergo non posset fidei assensus ex ea parte non claudicare in certitudine; seu, non foret omni assensu naturali firmior.

128. Actus itaque fidei non est *proprie et formaliter discursivus*, sed *virtualiter* tantum; in quantum supponit praecognitas duas praemissas, et earumdem connexionem necessariam cum objecto revelato.

DISSERTATIO TERTIA

DE CONDITIONIBUS ACTUS FIDEI DIVINAE.

129. Praesentem tractatum absolvemus nonnulla maximi momenti examinando circa actus fidei divinae condiciones. Idcirco, postquam varia elementa ad illum perficiendum necessaria indicaverimus, dicen-

dum erit: an et quomodo actus fidei divinae sit supernaturalis, verus, certus, obscurus, liber, appreciativus super omnia, et necessarius ad salutem. Postremo accurata illius analysis erit tradenda. Unde quaeruntur novem.

QUAESTIO I.

Quaenam elementa concurrant ad actum fidei divinae perficiendum?

(Mazella, *De virt, inf.* n. 727... 731.)

130. Resp. Plura elementa ad actum fidei divinae perficiendum concurrant necesse est, quae apprime distinguenda sunt.

1° Propositio praevia, qua, nempe, enuntiatur veritas credenda, affirmatur ejusdem revelatio, et traduntur motiva quae hujus revelationis existentiam ostendunt.

131. 2° Examen ab audiente instituendum, quem supponimus praeviis instructum cognitionibus, potissimum de summa Dei Veracitate qua nec falli nec fallere potest.

132. 3° Judicium credibilitatis quod consequitur hoc examen rite factum. Judicium illud est duplex. — Aliud *speculativum*, quo affirmamus Deum revelasse, et ideo veritatem propositam firmiter credi posse, propter auctoritatem Dei revelantis. Tale judicium praerequiri evidens est; quia, absque eo, firmiter assentiri esset contra prudentiam. — Aliud *practicum*, quo pronuntiamus nos aliquod objectum credendo agere honeste et obligatorie. In tractatu *de*

Actibus humanis, ostenditur illud iudicium requiri ad omnem actum honestum.

Judicium credibilitatis speculativum non est necessarium, ut actum fidei eliciamus circa veritates quas antea jam saepe credidimus; quia, vi dispositionis habitualis, statim, proposito objecto credendo, voluntas satis excitatur ad imperandum assensum.

133. 4° Cognitis honestate et obligatione credendi, voluntas erga fidem bene afficitur, et libere imperat assensum firmissimum ob auctoritatem Dei revelantis. Haec est *pia affectio credulitatis*, qua actus fidei fit liber et meritorius.

134. 5° Intellectus, voluntatis imperio obediens, elicit assensum fidei firmissimum.

135. 6° At in variis praefatis operationibus, gratia Dei gravissimas habet partes, ut modo dicemus.

QUAESTIO II.

Utrum et quomodo, ad perficiendum fidei divinae actum, homo supernaturaliter moveatur?

(Th. Wirceb. *De fide*: n. 183... 190.

Mazella, *De virt. inf.* n. 735... 737).

136. Resp. Supernaturalitas quae in fidei divinae exercitio reperitur, considerari potest, vel ex parte principii, vel ex parte motivi. De utroque supernaturalitatis modo nunc agendum est.

137. Dico 1°: *Actus intellectus assentientis veritati revelatae propter Dei revelantis auctoritatem, est substantialiter supernaturalis.*

Sane in hypothese destinationis hominis ad finem mere naturalem, haud repugnat Deum ipsi revelare nonnullas veritates, etiam rationi impervias. Quo in casu, nihil exigit assensum hisce veritatibus datum, esse supernaturalem substantialiter.

At in statu praesenti, cum Deus homini revelet veritates religiosas in ordine ad finem supernaturalem assequendum, nemo huic revelationi obtemperare potest eo modo qui ad salutem requiritur, nisi per actum ejusdem ordinis, ac proinde substantialiter supernaturalem.

Hinc conc. Trid. (sess. VI, cap. VIII.) loquens de fide quae est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, definivit can. 3, neminem posse: « sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione, « atque ejus adjutorio, credere... sicut oportet, ut ei « justificationis gratia conferatur. »

138. Dico 2°: *Pia affectio, seu, voluntas credendi, est entitative et quoad substantiam supernaturalis.*

Etenim, 1° ille pius credulitatis affectus, est praecise salutis initium quod Semipelagiani viribus naturae adjudicarunt; et hanc eorum doctrinam damnavit Ecclesia in conc. Arausicano II (can. 7.) sic se habente: « Si quis per naturae vigorem, bonum ali- « quod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, « cogitare ut expedit aut eligere, sive salutari, id est, « evangelicae praedicationi consentire posse confir- « mat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus « Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo « et credendo veritati, haeretico fallitur spiritu, non « intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: *Sine*

« me nihil potestis facere, et illud Apostoli : Non
« quod idonei simus cogitare aliquid a nobis,
« quasi a nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo
« est. »

139. 2° Voluntatis imperium per se disponit, imo immediate et necessario inducit ad actum fidei supernaturalem. Atqui imperium per se disponens, imo immediate et necessario inducens ad talem actum, debet esse supernaturale substantialiter, quia est certe ejusdem ordinis atque actus ad quem disponit.

140. 3° Tale imperium est de se meritorium, et tribuit actui fidei habere meritum supernaturale. Ergo oportet ut sit supernaturale.

141. Dico 3° : *Judicium credibilitatis practicum, seu, dictamen credenditatis, est quoad substantiam supernaturale.*

Nam 1°. Praedictum judicium regulat actum substantialiter supernaturalem ; sed regula nequit esse ordinis inferioris regulato. Ergo judicium illud est substantialiter supernaturale.

142. Nam 2°. Idem judicium merito dicitur esse aliquid initium fidei ; siquidem, inter omnes cogitationes fidei praeambulas, nulla est quae magis disponat per se ac positive inducat ad supernaturalem credulitatis affectum. Sed nihil mere naturale per se ac positive disponere ac inducere potest ad aliquid supernaturale.

143. Nam 3°. Ex concilio Arausicano supra citato, nullus, sine Spiritus Sancti illuminatione, bonum aliquid ad salutem vitae aeternae pertinens cogitare potest *ut expedit*. Atqui id saltem de judicio credibilitatis practico intelligendum est.

144. Dico 4° : *Judicium credibilitatis speculativum haberi quidem potest naturaliter ; at, prout disponit ad fidem formalem et ad voluntatem credendi, est et esse debet supernaturale.*

Prima pars probatur exemplo daemonum. Hi enim habent hujusmodi judicium evidens, et tamen cujuslibet actus supernaturalis sunt prorsus incapaces.

Patet etiam, quia ratio naturalis plane intelligit et judicat illud esse prudenter credibile, quod habet certum fundamentum suae credibilitatis. Sed fundamentum credibilitatis doctrinae christianae, per signa naturaliter cognoscibilia clare manifestatur.

145. *Secunda pars* exprimitur verbis concilii Arausicani superius allegatis. Judicium enim credibilitatis speculativum, prout disponit ad fidem formalem et ad voluntatem credendi, habet veram efficaciam in ordine salutis. Atqui, juxta praeaudatum concilium, omnis cogitatio salutaris in ordine ad vitam aeternam, procedit ex illuminatione Spiritus Sancti.

146. Dico 5° : *Necessarium non est, imo nec possibile quod, in ordine ad actum credendi, homo semper procedat ex motivo fide cognito.*

Illud est evidentissimum quoad ea omnia quae praecedunt primum fidei actum, in eo, scilicet, homine qui nondum credit ; secus enim ille actus simul esset et non esset primus fidei actus.

147. Sed nihil obstat quominus, in homine jam fidei, judicium credibilitatis et pius credulitatis affectus eliciantur ex motivo fide cognito. Judicium enim credibilitatis efformatur ex rationibus quibus constat

Deum esse Veracem et fuisse locutum. Sed homo fidelis utrumque nonnunquam accipit ex Scripturarum aut Ecclesiae docentis testimonio, cui ex fide adhaeret. Insuper, apud Christianum, voluntas saepissime mentis obsequium imperat, quia fides docet illud esse meritorium ac necessarium.

148. Quoad ipsum autem credendi actum, multi cum Suarezio, ex supra dictis n. 112, volunt essenziale esse ut ejus motivum fide teneatur. Hoc autem multis non placet, contententibus intrinsecam fidei rationem illud non exigere; quia requiritur et sufficit si, in actu credendi, mens illius motivo assentiatur non tanquam objecto *quod* creditur ut revelatum, sed tanquam objecto *propter quod* creditur res revelata (vide n. 122).

149. Dico 6°: *Judicium credibilitatis, pia credulitatis affectio, et ipsemet fidei assensus, sunt actus revera, ratione objecti formalis, supernaturales.*

Illi enim actus objectum suum materiale non attingunt nisi ratione revelationis. Sed, in statu praesenti, omnis revelatio divina ad hoc ordinatur, ut sit nobis via ad finem supernaturalem obtinendum, seu, ad finem qui superat vires et exigentias naturae, et sola ratione naturali non est cognoscibilis. Porro objectum ejusmodi est revera supernaturale.

150. Insuper, juxta explanationem superius, ex sententia P. Pii de Mandato traditam, objectum fidei formale est divina Veracitas secundum pondus suae auctoritatis intrinsecum apprehensa; quae apprehensio nequit fieri naturaliter, sed per lumen gloriae in

aperta cognitione, vel per lumen fidei in cognitione obscura. Unde superat vires et exigentias naturales cujuslibet intellectus creati et creabilis.

QUAESTIO III.

Utrum actus fidei supernaturalis sit essentialiter verus?

(Salm. *De fide*; Disp. 11, Dub. 1 et 4. — Theol. Wirceb. *De fide*, n. 191... 196. — Mazella. *De virt. inf.* n. 617... 637.).

151. Resp. Falsitas fidei concipi potest ex duplici capite: 1° ex parte objecti materialis, si res a Deo revelata et credenda non existeret; 2° ex parte objecti formalis, si aliqua res, existens aut non existens, crederetur ex falsa revelationis existimatione. In primo casu, Deus falsum diceret; in secundo, falsa persuasione credens deciperetur.

Jamvero, probandum venit primam hypothesim in se repugnare; et in secunda, assensum datum ex falsa persuasione non esse actum fidei divinae. Ex quo sequitur fidei actum esse essentialiter verum. Igitur

152. Dico 1°: *Prorsus repugnat quod Deus falsum loquatur.*

Thesis militat contra Priscillianistas, qui docuerunt Deum simpliciter posse dicere falsum, et de facto aliquando dixisse. — Sic etiam contra aliquos veteres theologos, asserentes Deum, absolute loquendo, seu, de potentia extraordinaria, posse mentiri, licet id ordinarie non accidat. Haec opinio, jamdiu obsoleta,

ab omnibus rejicitur veluti temeraria, vel etiam erronea et haeresi proxima.

Conclusio probatur tum auctoritate, tum ratione.

153. I *Argumentum ex auctoritate.*

Textus Scripturae et Traditionis non admodum urgent contra haereticos, qui forsitan reponerent verbum divinum, sive in Scriptura sive in Traditione contineatur, non esse necessario veritati consonum. Saltem valent, tanquam argumentum *ad hominem*, contra caeteros qui, licet velint Deum posse absolute mentiri, concedunt tamen nec Scripturam nec Traditionem divinam falsum dicere.

154. a) Sic legitur (Num. xxiii, 19.): *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; neque ut filius hominis ut mutetur.* Non potest ergo Deus magis mentiri quam mutari. Atqui absolute mutari nequit. — B. Paulus (Tit. I, 2.): *Spes vitae aeternae quam promisit qui non mentitur Deus.* Itaque spes ex parte Dei non mentientis omnimodam firmitatem habet. Sed evanesceret haec omnimoda firmitas si Deus, absolute loquendo, foret mendacii capax. — Idem ad Romanos (iii, 4): *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Ibi omnis homo non dicitur mendax ratione facti, quasi omnes mentiti fuerint; siquidem nonnulli citantur qui ab omni mendacio immunes fuisse merito creduntur, uti B. Virgo, S. Joseph, S. Joannes Baptista; sed omnis homo dicitur mendax ratione potentiae. Ergo cum Deus dicitur Verax per oppositionem ad hominem, eo ipso affirmatur eum non habere potentiam mentiendi.

155. b) Omissis verbis Patrum quae, hac in re, et frequentiora et clarissima sunt, invocabimus conc.

Trid. sess. VI, cap. 9. Loquens enim de actu fidei circa statum gratiae, ait: « Cum nullus scire valeat « certitudine fidei, *cui non potest subesse falsum*, « se gratiam Dei esse consecutum ». Non dicit in subjunctivo: *cui non possit* subesse falsum, quasi daretur aliqua fides errori obnoxia, sed in indicativo: *cui non potest*, seu, quae nunquam errat.

II. *Argumentum ex ratione.*

156 a) Deus est summa Veritas sicut est summa Bonitas. Atqui, ut est summa Bonitas, essentialiter excludit a se omne malum, et non potest inclinari nisi ad bonum. Ergo, ut est summa Veritas, essentialiter aversatur omne falsum, et non potest operari nisi verum. Porro verum in locutione, consistit praecise in ejus conformitate cum conceptu ad quem manifestandum ordinatur; conceptus autem divinus semper veritati est conformis. Ergo omnis locutio divina est essentialiter omnimode vera, id est, consonat cum veritate, utpote conformis conceptui divino, qui et ipse non potest non conformari cum veritate objectiva.

157. b) Omnes intelligunt voluntariam dissonantiam inter verba et mentem loquentis, includere necessariam deordinationem; quia pervertit finem cui obtinendo verba ex natura sua deserviunt. Idcirco mendacium formale, seu, ex industria, judicatur quid intrinsece malum. At si Deus falsum diceret, id faceret scienter, ac proinde formaliter mentiretur.

158. c) Si Deus falsum posset dicere, jam non erit omni fide dignus, nisi quando revelat veritates aliunde evidenter notas. Atqui id Deo absolute repugnat. Deus enim dignus est omni obsequio, et fides est

quoddam obsequium intellectuale. De caetero, esse dignum omni fide est perfectio simplex qua Deus carere nequit.

159. Dico 2° : *Fides divina supernaturalis non potest ullo modo ferri in revelationem falso existimatam, ac proinde est necessario vera etiam ex parte objecti formalis.*

Contra hanc thesim a nonnullis

Objicitur 1° : Non repugnat hominem, ex invincibili et falsa persuasione, judicare talem propositionem a Deo fuisse revelatam, et ita esse evidenter credibile. Nam, quamvis Suarezius negaverit aliquid posse proponi ut evidenter credibile, quod reipsa non sit, id communiter impugnatur ab aliis theologis; et re quidem vera, non videtur repugnare aliquid immerito ut revelatum proponi ab episcopis et pastoribus cujusdam provinciae, et ita judicari a populis evidenter credibile. Atqui, posito iudicio evidenti credibilitatis, oritur obligatio eliciendi fidei divinae actum. Ergo ille actus est possibilis, cum non detur obligatio ad impossibile.

Objicitur 2° : Virtus misericordiae vere exercetur ab eo qui dat eleemosynam homini quem falso iudicat pauperem. Cur ergo non exerceretur vera fides, credendo doctrinam quae falso existimatur revelata ?

160. Constat thesis 1° auctoritate concilii Trid. declarantis fidei divinae non posse subesse falsum. Nam falsum fidei subesset, si revelatio inducens ad credendum non esset vera; quandoquidem omnis qui elicit fidei actum iudicat Deum locutum esse.

161. Constat 2° ex defectu objecti formalis. Repugnat sane fidem theologiam influere in assensum circa objectum quod non cadit sub eius objecto formali. Atqui doctrina non revelata non cadit sub objecto formali fidei theologicae. Objectum enim formale fidei est, vel Veracitas divina simul cum revelatione, ut statuimus n. 88, vel, ut alii volunt, sola Veracitas divina, quatenus per revelationem applicatur tali doctrinae quae ut revelata proponitur. Sed, in utraque opinione, supponitur revelatio non mere apparens et existimata, bene vero realiter existens; quia revelatio mere apparens non est revelatio, sed phantasma revelationis.

162. De caetero, revelatio mere apparens non potest inservire ad fidei exercitium. Fides quippe infusa, cum sit per essentiam virtus intellectualis, habet pro fine intrinseco perficere intellectum in ordine ad verum; a quo fine prorsus deflectit revelatio mere apparens, eo quod possit indifferenter terminari aut ad verum aut ad falsum. Ergo non inservit ad fidei infusae exercitium, ac proinde sub eius objecto formali non includitur.

163. Constat 3° ex fidei supernaturalitate. Item, ut ratiocinatur Suarezius (*De fide*: Disp. III, sect. 13, n. 4). « Lumen fidei est veluti instrumentum Spiritus « Sancti, per quod movet intellectum ad assentien- « dum, et ideo debet esse proportionatum veritati « Spiritus Sancti. Est etiam singularis quaedam par- « ticipatio divini luminis et supernaturalis ordinis, et « quasi inchoatio quaedam luminis beatifici; et ideo « necessarium fuit ut esset ad verum determinatum, « et consequenter ad veram Dei revelationem.

« Denique, nisi tale esset hoc lumen, non esset con-
« sentaneum fini a Deo intento, scilicet, quod ho-
« mines summa fiducia et certitudine captivent intel-
« lectum in obsequium fidei et Dei. »

164. Constat 4^o *ex sensu communi*. Communiter ille qui exercet fidem theologicam dicitur credere Deo. Atqui nullus credit Deo, nisi revera Deus locutus fuerit. Quod ita confirmat Coninck (Disp. x, dub. 1, n. 74). « Si Petrus mihi aliquid diceret, et ego putarem omnino eum esse Joannem, qui magna apud me est auctoritate, ideoque illud crederem, quia putarem ab eo dictum, hoc casu, putarem quidem me credere Joanni; vere tamen ei non crederem, sed Petro; quia hic non autem ille mihi aliquid esset testatus. Impossibile autem est me alicui credere si nihil mihi dicat. Ergo similiter, quando aliquid credo, quia falso puto a Deo esse revelatum, vere non credo Deo, quia ipse hoc mihi non testatur, sed solum puto me ei credere; et consequenter meus actus non est actus fidei theologicæ, sed solum putatur esse talis. »

Sic igitur respondendum est ad ea quæ obijciuntur n. 159.

165. *Ad 1.* Ille qui ex falsa et invincibili persuasionem judicat evidenter credibile quod non est revelatum a Deo, obligatur quidem ad fidem adhibendam putativæ revelationi, sed fidem quæ non est theologica nisi apparenter tantum. Habebit nihilominus affectionem piæ credulitatis meritoriam; quia meritorium est velle credere quod judicatur revelatum.

166. *Ad 2.* Virtus misericordiæ non exigit ut certo cognoscamus utrum illi quibus subvenimus sint vere

pauperes. Ad hanc enim spectat illis opitulari qui pauperes censentur. Ratio est quia ad virtutes appetitivas non pertinet excludere errorem circa sua objecta. Sicut voluntas fit moraliter mala, ubi prosequitur objectum quod falso apparet malum, sic et contrahit bonitatem ubi complectitur objectum quod falso apparet bonum. Bonum, siquidem, et malum morale in actibus voluntatis, mensuratur ex conformitate cum objecto, non prout est a parte rei, sed prout proponitur ab intellectu etiam erroneo. Virtutes autem intellectuales versantur circa verum; ac proinde eorum perfectio consistit tota in conformitate cum objecto, prout est a parte rei.

QUAESTIO IV.

Quanta requiratur certitudo ad actum fidei divinæ perficiendum?

(Salm. *De fide*: Disp. 11, dub. 5, n. 103... 127. — Theol. Wirceb. *De fide*: n. 172... 179; 197... 205. — Mazella. *De virt. inf.* n. 594... 616; 745... 760.)

167. *Resp.* Certitudo simpliciter dicta duo importat, nempe: 1^o necessariam connexionem assensus cum veritate, excludentem periculum falsitatis; quæ connexio oritur ex motivorum pondere, et vocatur certitudo *objectiva*, seu, *infallibilitatis*; 2^o firmam adhaesionem intellectus ad objectum, qua excluditur formido oppositi; et hæc adhaesio firma dicitur certitudo *subjectiva*, seu, *indubitabilitatis*.

Certitudo *objectiva*, in eo qui percipit necessariam connexionem assensus cum veritate, secum infert